



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Arnulphus Ep. 16. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cùm, ita Numine volente, se-riùs è XII. proceribus Thomas advenisset, & amis-sam Matrem etiam in tumulo mæstus quæreret, præter lintea, tam magni thesauri nuper involu-
cra, nihil reperit; quòd cælum etiam Corpus sub-duxisset. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere; Nunc, si terram nauseas,
Virgo, Scande Cælum. Ex Brev. Rom. &c.

*Præcessit nos Reginæ nostra, præcessit, & tam glorio-
sè suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam ser-
vuli clamantes, trahe nos post te; in odore unguentorum
tuorum curremus. S. Bern. serm. i. de Ass. B.M.V.*

S. ARNULPHUS EP. 16. Augusti.

SÆPÈ matres & viva filiorum funera malè ri-
dent & malè lugent mortua; id quod ARNVL-
PHI etiam mater primò factitabat, dum quem pri-
mum enixa est filium, spem unicam familiæ, sed
morte intempestivâ sublatum non posse deflere
satis sibi videbatur. Sed monuit bonus Genius
æquo animo ferret, quod non posset non ferre;
qui maximè oculis arriderent flores, hos primos
carpi. Non invideret filio Cæli contubernium, in
omnia vitia, si porrò ivisset, atque adeò latronum
societatem abripiendo. Potius nascituri alterius fi-
lli spe animum erigeret, qui vitæ sanctioris famâ
orbem esset impleturus. Atque hic ARNVLPHVS
noster fuit, aulam primò & militiam, tum mona-
sticen secutus, eo semper vitæ tenore, ut dubium
pænè fecerit, sanctiōne miles an monachus fue-
rit. Ex hoc Abbas, ex Abate Pontifex Sueßione
ita se gessit, ut extremūm ægro ter concussum cu-
bicum ter spectaculum objecerit jucundissimum

R. 7

mo-

morituro. Nam primò videre Apostolorum Principem habuit, qui noxarum veniam largissimam nunciabat: mox cælestium agminum Primipilum, qui commeatum in cælum promittebat; demum ipsam cæli Reginam, quæ festo sibi, quo cælo recepta fuit, die recipiendum cælo etiam ipsum indicavit. Tanti, ô Superi! tanti ægrotare etiam mihi foret! Ex Surio.

Pretiosa mors sanctorum, pretiosa planè, tanquam finis laborum, tanquam victoriae consummatio, tanquam vita janua & perfectæ securitatis ingressus. Bern. in epist.

S. ROCHUS CONF. 16. Augusti.

Nascitur Rochus loco perillustri in Galliâ, portentosâ Cruce à matre rubens: ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit; ipse ditione suâ patruo commissâ, Italiam Religionis caussâ petit. Hic dum laborantibus peste servitium suum addicit, magnâ omnium admiratione quam plurimos sanitati Crucis signo restituit. Secundum hæc divinitus edocet, quibus malis porrò exercendus esset, acutâ primûm febri tentatur, mox sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni Angeli ope, dum in patriam repedat, iterum æger ex itinere sub arbore decumbit, annonam in dies singulos panem unum canefubministrante. Redux denique in suam ditionem, eandem domi, quam foris fortunam, hoc est ini quam reperit. Grassantibus enim per ea tempora ubique bellis, pro exploratore habitus captusque ab ipso patruo hospitio publicitus, hoc est, carcer excipitur. Hoc cum mille modis absolvere se ipsum posset, quinque ipsos tamen annos delite scit.